

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 4. Martii 1823.

3) Origo.

Statio saepe sumitur pro concursu populi ad ecclesiam indictam, in qua statis diebus processio clericorum ad stas preces faciendas consistebat. Vetustus enim in urbe ritus fuit, ut certis diebus clerus in unam aliquam ecclesiam supplicationis causa conveniret, ubi sacra fiebant aliaque divina officia peragebantur. Hi porro dies jejuniarum erant; unde solvere stationem idem erat, quod solvere jejunium; *Isidorus lib. 6. c. ult. Etymol.* Discernunt autem quidam inter jejunium et stationem: nam jejunium est indifferenter cujuslibet diei abstinentia non secundum legem, sed secundum propriam voluntatem: Statio autem est observatio statutorum dierum vel temporum, ut quartae et sextae feriae vel quadragesimae. *Et s. Ambrosius serm. 36.:* „Stationes vocantur jejunia, quod stantes et commorantes in eis inimicorum insidias repellimus“.

Porro cleri romani processio in illas stationes duplex est, sollemnis aut privata. Haec fit, cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit: sollemnis vero, cum sollemni more, decantando litanias aliaque preces, Pontifex alique omnes eo sese recipiant. Processiones sollemnes praecedunt collecta, id est coadunatio clericorum in una Ecclesia, ut ex ea, quasi agmine facto, in locum stationis procedatur: sic dicta, quod in eo loco clerus cum populo colligatur ad faciendam processionem sollemnem. Et quia in loco, ubi sit collecta, oratio super populum funditur ante processionem, inde fit, quod ejusmodi orationes etiam Collectae appellantur quoniam „super collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Ecclesia in aliam ad stationem faciendam“, ut loquitur

Micrologus in cap. III. Sic in capite jejunii illa oratio: concede quaesumus apud s. Anastasiam super collectam populi dicitur, qui stationem apud s. Sabinam celebraturus est. Sed ejusmodi collectae fiebant praecipue in quadragesima et in singulis triduis quatuor temporum, propterea quod illis diebus sollemnis processio celebrabatur; at quia forte privata erat aliis temporibus processio, nullae collectae assignantur in veteri indice collectarum et stationum, quem Mabillonius exhibuit tom. II. musei italici p. 544.

Gregorius Magnus stationes antea vagas vel certis ecclesiis scripto non addictas in suo sacramentario constituit *ordinavitque per basilicas vel beatorum martyrum coemeteria*, testante Joanne Diacono in ejus vitae lib. III. cap. XVIII. Primitus vero stationes illae institutae fuerant vel ob sanctorum natalitia vel ob dies publicae processionis sive missae sacratori tempore celebrandae. Stationes ob sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis vel in coemeteriis, id est in ecclesiis super eorum tumulos constructis, quae ob id coemeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimae essent sanctorum festivitates et memoriae, non erat necessarium harum stationum diem et locum assignare in sacramentariis, in quibus quaecumque propriae sanctorum missae habebantur; publicas olim stationes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta quadragesimae, quatuor temporum, adventus, natalis Domini, paschatis et similium, cum incertae essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio, ad quamnam ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci possent. Eas constituit passim in basilicis prae-

cipuis, scilicet patriarchalibus et titulis, aliquando tamen in diaconiis et oratoriis, ut in oratorio s. Pancrati, in quo idem s. Pontifex homiliam habuit. Gregorius II. supplevit vacantes aliquot quadragesimae dies, nempe in feriis quintis: quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis ecclesiis statuit. Hoc est, quod significare voluit scriptor libri de gestis Pontificum his verbis: „Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, id est statio atque missarum celebritas fieret, in ecclesiis (quod non agebatur) instituit. Attamen singulas quadragesimae ferias quintas ante Gregorium II. festivitates fuisse instar dominicae Micrologus auctor est in cap. I.

*Etsi autem fixae ac ratae essent in sacramentario stationes, eas tamen populo denuntiari mos erat. Id fiebat ab Archidiacono in publica missa praecedente. Postquam enim Pontifex communicaverit, veniebat „Archidiaconus cum calice ad cornu altaris et annuntiabat stationem“; quae verba leguntur in primo libello ordinis romani n. 19. Olim igitur ex primaevis romanis ordinibus post: Pax Domini etc. denuntiabatur ab Archidiacono, stante cum calice ad cornu altaris, statio futuri diei. Ita perhibet ordo romanus I. *) et II. **) Saeculo vero XII. haec denuntiatio fiebat ante communionem a Subdiacono regionario; ita docet ordo romanus Benedicti Canonici, ubi de ritibus in missa feriae IV. initii quadragesimae his verbis: „Ante communionem vero stat Subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce: „Crastina die veniente, statio erit in Ecclesia s. Georgii martyris ad velum aureum.“ Respondet schola: Deo gratias.*

Ad locum stationum deferebantur

*) Num. 20.

**) Mum. XIV. ord. rom. XI. n. 34.

ex Patriarchio Lateranensi vasa sacra, praeunte cruce stationali, de qua extat V. cl. Ciampinii pererudita dissertatio; Pontificem in sella gestatoria eo portari mos erat. Aliquando tamen equo vehebatur. Leo IV. instauravit „crucem auream, quae (ut mos antiquitus est, ait Anastasius) Subdiaconi manibus ferebatur, praedecessorum Pontificum“. Presbyteria etiam, id est, erogationes fiebant, tum ob ministrorum obsequia, tum ob laudes et acclamationes. Immo Pontifex quandoque in ipso itinere causas finiebat aut certe ad ejus nutum nomenclator et sacellarius, ut in primo ordine romano num. 2.

Stationum aliquod vestigium saeculis XIII. et XIV. perdurabat. Vide *Garampium in vita b. Clarae p. 555.* Nunc vero stationum nomine veniunt indulgentiae illae, quae certas ecclesias visitantibus conceduntur.

4) Viae Crucis.

Vd.: *Via crucis; Indulg. viae crucis.*

STATUA.

Vd.: *Imago.*

STATUS ECCLESiarUM.

Exhibendus ab Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis etc.

Instructio

Sacrae Congregationis Concilii pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis super modo conficiendi relationes statuum suarum ecclesiarum quas occasione visitationis sacrarum Liminum eidem S. C. exhibere tenentur.

Summus Pontifex Sixtus Papa quintus, qui tempora statuit, quibus singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et patriarchae per seipsos vel per eorum certum nuntium visitare tenentur

limina beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli antiquissimae observantiae haerendo nedum voluit, ut ultra sacrorum liminum visitationem Romano pro tempore Pontifici de toto eorum pastoralis officio et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem, quovis modo pertinentibus, rationem redderent, uti fusius habetur in praedicti Pontificis constitutione, quae incipit: *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam constitutione, quae incipit: *Immensa aeterni Dei*, S. Congregationi praepositae interpretationi sacrosancti Concilii Tridentini curam demandavit, praedictam rationem, quae dicitur relatio status ecclesiae, perpendi et examinandi ac postulatis in eadem proponendis respondendi.

Sixtinae hae constitutiones suo non caruerunt effectu tum quoad s. liminum visitationem tum quoad relationem statuum ecclesiarum, sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquae ex eis aliquando fuerint exhibitae abundantes in superfluis et aliquae aliquando deficientes in necessariis: cumque ad haec avertenda in Synodo romana hoc anno 1725 a sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papa XIII. habita in Basilica Lateranensi praescriptum sit, ut instructio hactenus ommissa a S. Concilii Congregatione ederetur, haec idcirco instructio publici juris fit, ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum ad eandem S. Congregationem in posterum transmittendis curent Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae ipsi se conformare et suas relationes ad quaedam distincta capita reducere.

§. 1.

De primo relationis capite pertinente ad statum Ecclesiae materialem.

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda:

I. *Institutio*,

II. *Confinia*,

III. *Privilegia et praerogativae* Episcopatus, Archiepiscopatus aut Patriarchatus.

IV. *Numerus* civitatum, oppidorum aut locorum, qui Episcopatu, Archiepiscopatu aut patriarchatu subjecti sunt.

V. *Status cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis Ecclesiae*, una cum numero canonicorum et aliorum servitio chori addictorum, et an erectae fuerint praebendae poenitentiarum et theologalis.

VI. *Status Ecclesiarum Collegiatarum* una cum numero pariter canonicorum et caeterorum, qui choris earum intersunt et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis.

VII. *Status et numerus ecclesiarum parochialium* nec non aliarum ecclesiarum et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu existentium, referendo signanter, an Cathedralis, Metropolitanae aut Patriarchalis et Collegiatae oratoria nec non parochiales caeteraque Ecclesiae sint sacris suppellectilibus instructae et quatenam ex eis habeant redditus pro fabrica assignatos.

VIII. *Numerus monasteriorum* tam virorum quam mulierum, exprimendo an aliqua ex monasteriis virorum sint subjecta suae jurisdictioni, et an et quae mulierum Monasteria sibi subjectae sint vel Praelatis regularibus.

IX. *An adsit in dioecesi seminario clericorum*, quot Clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa et in qua quantitate et an aliqua Be-

neficia fuerint eidem unita et in universum quinam et quot sint redditus praedicti seminarii.

X. *Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum* et aliorum locorum piorum, quae sunt in episcopatu, archiepiscopatu aut patriarchatu et quinam sint eorum redditus.

XI. *An adsint montes pietatis, quot sint*: una cum aliis consimilibus, ad statum materialem Ecclesiae spectantibus, cum advertentia tamen, *ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum*, quae sit, ab Episcopo aut Patriarcha exhibeatur, in subsequentibus etenim relationibus satis erit quod ipsi se referant ad primam nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod referens notificandum S. Congr. existimaret.

§. 2.

De secundo relationis capite pertinente ad ipsum Episcopum, Archiepiscopum, Primatem et Patriarcham.

In hoc capite exponi debet:

I. *An residentiae praeceptum*, a sacris canonibus, concilio Tridentino et constitutione Urbana praescriptum adimpleverit et an aliquo et quo tempore abfuerit et an ultra menses conciliares et an cum vel sine sedis apostolicae licentia.

II. *An et quoties dioecesis sibi commissae visitationem expleverit.*

III. *An per se vel per alium Episcopum s. Ordinationes expleverit et Sacramentum confirmationis administraverit.*

IV. *An et quoties synodum dioecesanam coegerit*: et, si Episcopus nulli Archiepiscopo subjectus sit, an ad Synodum provincialem ejus Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus synodo provinciali intersit, accesserit; et si sit Archiepiscopus, an Synodum provincialem

habuerit et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. *An verbum Dei per seipsum praedicaverit* et an legitimo concurrente impedimento viros idoneos assumpserit ad hujusmodi praedicationis officium salubriter exequendum.

VI. *An habeat depositarium poenarum* et mulctarum pecuniarum, et an eadem fuerint piis usibus applicatae.

VII. *Quatenam taxa* et an Innocentiana in sua Cancellaria observetur.

VIII. *An aliquod habeat, quod sibi obstat circa exercitium episcopalis officii*, jurisdictionis ecclesiasticae, necnon tuendae libertatis et immunitatis Ecclesiarum.

IX. *An aliquod pium opus peregerit pro Ecclesia, pro populo aut pro clero.*

§. 3.

De tertio capite ad clerum saeculare pertinente.

In hoc capite reponendum erit:

I. *An canonici* caeterique choro addicti cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis Ecclesiae necnon collegiatarum, *choro jugiter intersint.*

II. *An ultra matutinum, laudes* caeterasque alias horas canonicas quolibet die celebrent *Missam conventualem.*

III. *An quolibet die eam applicent* pro Benefactoribus.

IV. *An suas habeant constitutiones* et eas punctualiter observent.

V. *An, qui obtinent praebendam poenitentiarum aut theologalem*, adimpleant, quae adimplenda sunt et quomodo.

VI. *An parochi in suis parochiis resideant.*

VII. *An librum Matrimonii et Baptizatorum* aliosque libros, quos ad normam ritualis romani retinere debent, retineant.

VIII. *An aliqui ipsorum indigeant*

aliorum sacerdotum opera, ut Sacramenta Populo administrent.

IX. *An iidem* per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate, pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem juxta monitum Tridentini et praecitati Concilii romani.

X. *An saltem dominicis* et aliis festis diebus in suis parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes pueros caeterosque hoc adjutorio indigentes doceant et an et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. *An singuli parochi* caeterique curam animarum exercentes singulis dominicis festisque de praeepto missam applicent pro populo eorum curae commisso.

XII. *An et quae praemittantur*, antequam quis ad primam tonsuram et minores ordines admittatur et an s. ordinibus initiandi, ante cujuscumque Ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo *spiritualibus exercitiis*, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. *An omnes praedicti vestes jugiter deferant clericales* et an quoad fori privilegium serventur deposita a sacrosancta synodo Tridentina sess. 23. cap. 6 de reformat. et a constitutione sanctissimi domini nostri Benedicti Papae XIII. in eodem concilio romano emanata.

XIV. *An habeantur conferentiae* theologiae moralis seu casuum conscientiae et etiam sacrorum rituum et quot vicibus habeantur et qui illis intersint et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. *Quinam sint mores cleri saecularis* et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§. 4.

De quarto capite ad clerum regularem pertinente.

I. An regulares, curam animarum exercentes, qui episcopali jurisdictioni, visitationis et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant juxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de Parochis saecularibus.

II. *An aliquis regularis extra monasterium degat*: an aliqui adsint in dioecesi, a suis superioribus, servatis servandis, ejecti vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens vel qui extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo fuerit et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. *An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum* et granciarum monasteriorum in quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus praefixo et quinam sint religiosorum mores in dictis conventibus et grancis degentium.

IV. Denique an aliquod habeat cum regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a s. Concilio Tridentino vel a summorum Pontificum constitutionibus et signanter a bulla Clementis Papae X. quae incipit: *Superna*.

§. 5.

De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. An moniales, Episcopo subjectae, suas servent constitutiones.

II. *An clausura* in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio S. Congregationis indigeant.

IV. *An praeter ordinarium confessorum alius extraordinarius* ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum redditus fideliter administrentur et monialium dotes fuerint persolutae et quomodo erogatae.

VI. *An in monasteriis monialium*, quae sunt praelatis regularibus subjecta, curaverit, ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata, et an contra inobedientes et contradictores per censuras ecclesiasticas et alia juris remedia processerit.

VII. *An harum monialium confessorii regulares, sive ordinarii sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati*, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An, adhibitis superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad haec monialium monasteria regularibus subjecta: et an fideliter eorum redditus administrentur et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in Bulla Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili*.

§. 6.

De sexto relationis capite pertinente ad seminarium.

In hoc capite exponendum erit:

I. Quot sint in seminario alumni.

II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent et quo profectu.

IV. An cathedrali et aliis locis ecclesiae diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum cano-

nicorum seniorum a se electorum necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet et operam det, ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini eademque exigatur et an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§. 7.

De septimo capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. *An in sacristiis* omnium et singularum ecclesiarum exposita sit *tabella onerum missarum* et anniversariorum ad tramites decretorum san. mem. Urbani VIII. et an in eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis aliisque locis piis punctualiter executioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis sive charitatis visitaverit et an idem habeat redditus, qui superabundent sustentationi ministrorum aliisque necessariis expensis, et in quas causas redditus illi erogentur; et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam aut frumentum, si agatur de Monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. *An infirmorum hospitalia* visitaverit, reddituum rationes ab administratoribus exegerit et an infirmis necessaria, quoad salutem animae et corporis in eis subministrentur.

§. 8.

De octava relationis capite ad populum pertinente.

In hoc capite exponendum erit:

I. *Quinam sint populi mores* et an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepperit abusus aut prava quaedam in eodem inotuerit consuetudo, quae consilio indigent et sedis apostolicae adiutorio.

§. 9.

De ultimo capite ad Postulata pertinentente.

Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primate et Patriarchae, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt Congregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione et quatenus postulata spectent ad negocia forensia exponant an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiae, ut omnibus mature pensatis possit S. Congregatio congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae Episcopi, Archiepiscopi, Primate et Patriarchae pro suarum indigentia ecclesiarum atque dioecesium addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse addere, quae ipsis addenda videbuntur, et ad notitiam S. Congregationis deferre, quae ex charitatis et iustitiae norma per se expedit, quae poterit et majora ad summum pontificem deferret, qui fratribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

(L. † S.)

C. Card. Origus,
PraefectusP. Archiepisc. Theodosiae
Secretarius.

Vd.: *Constit. Bened. XIV.* 23. Nov. 1740. (Bull. r. t. XVI. p. 73.) *De Congregatione pro examinando hoc statu* vd.: *Constit. Bened. XIV.* de die 23. Nov. 1740. (Ibid. p. 16.)

STEARINA.

Utrum utenda in celebr. missae?

Vd.: *Lumina; Candela* (materia).

Haud levis momenti hodierna die Emmi et Rmi Patres sapientissimi vestro iudicio definienda proponitur quaestio, quae ex novis inventis achymiae, ut ajunt, progressu derivantibus, suboritur. Et quamvis ecclesia prudenti quadam oeconomia caveat se huiusmodi quaestionibus immiscere, attamen cum res vel fidei doctrinam vel populi christiani mores vel Dei cultum ejusque ritus aliquo modo attingat, tunc quin aliquid de novi adinventi natura proferat aut decernat, ea praescribit, quae sive fidelibus sive a sacris ministris tuenda sunt et observanda.

Ita profecto videtur in praesentiarum quoad ea, quae sacros ritus respiciunt. Conficiuntur enim paucis ab hinc annis quaedam candelae quae specietenus eas ex cera conflatas optime imitantur. Hinc factum est ut quidam vehementer dubitarent utrum easdem candelas pro Dei cultu ecclesiasticisque functionibus adhibere liceret illarum loco, quibus vel a suis primordiis huiusque ecclesiae usa est. Primi, qui hac de re hanc S. Congregationem adierunt, nonnulli fuere cereorum opifices ex civitate Massiliensi. Hi enim ex eo commoti sunt, quod ob novam inventionem cereos perficiendi ad usum ecclesiarum grave damnum sibi suisque familiis pertimerent. Eorum precibus in ordinario conventu habito die 23. Febr. 1839 relatis placuit Vobis Emmi et Rmi Patres hoc negotium Episcopo Massiliensi pro informatione et voto remittere, quibus acceptis unacum nonnullis observationibus alterius ex recentioribus opificibus iterumque causa proposita, responsum est: „Ponatur in folio exquisito voto magistri caeremoniarum“.

Quod autem a S. Congregatione Massilienses opifices suppliciter postulabant, idem paulo post in Luburnia cereorum opifices ab eorum Episcopo Zagabriensi enixe exquirebant. Is dubius haerens quid illis responderet, praesertim quod certo sciebat nonnullos Galliarum Episcopos editis literis encyclicis cereorum usum, de quibus sermo, in eorum dioecesibus pro sacris functionibus prohibuisse, suum hac de re Metropolitanum consuluit, a quo epistolam accepit, ubi, licet expositis validis rationibus, ob quas Archiepiscopus Colocensis opinabatur haud quaquam fas esse in sacris functionibus novis uti cereis, nihilominus quoniam referebatur eosdem aliquam ceram partem continere, ideo sui muneris duxit totum negotium huic S. Congregationi subijcere, quod et praestitit ejus Vicarius generalis literis ad suum in urbe procuratorem datis sub die 19. Maii anni 1842. Tandem delata est ad hanc S. Congregationem epistola alterius novorum cereorum opificis in civitate Mediolani ad adm. R. P. Vincentium Modena ex ordine s. Dominici et Rmi P. S. Palatii apostolici Magistri socium conscripta, qua auctor expostulat, ut eorumdem cereorum usus pro ecclesiasticis functionibus ab hac apostolica Sede declaretur.

Ex hisce autem documentis perspicue apparet totam quaestionem in eo esse, utrum nempe nova cereorum species toleranda sit, an potius prohibenda. Antequam meam, qualiscumque sit, sententiam Vobis Emmi et Rmi Patres aperiam, ut munere mihi demando satisfaciam, nonnulla mihi videntur necessario esse praemittenda, ut ipsamet quaestio clare innotescat. Atque in primis inquirendum est quatenam sit eorum materies, qua conficiuntur. Omnibus utique notum exploratumque est candelas, de quibus agitur, confici ex adipe sive bovis

sive arietis sive similium animalium, qua vero ratione id fiat breviter exponam.

Adeps prius in sua elementa resolvitur, ut ab oleo, quod continet, expurgetur. Primus qui Parisiis analysi adipis subiecit ac methodum id perficiendi adinvenit, est clarissimus Chevreul, qui ope acidi sulphurei alteriusque substantiae separavit atque divisit ex adipe materiem liquidam, oleo persimilem, quam dixit *oleinam*, materiem vero crassam solidamque, quae remanet, a graeco vocabulo appellavit *stearinam**). Porro ex stearina fit acidus stearicus atque ex eo Cambacères docuit methodum novas candelas conficiendi, quaeque propterea a plerisque ex cera animali appellantur. Hinc est quod cum adeps ea parte careat, quae dicitur *oleina*, candelae ex ea formatae non amplius male oleant albaeque appareant: quinimo opifices ita pannis laneis *alcohol* madefactis exterius defricant, ut praeternitorem etiam cerae odorem exhalent. Verum ob olei defectum ita fragiles sunt, ut si in terram decident, ac si vitreae essent, in minutissima fragmenta conterantur. Utrum una cum *stearina* aliqua cerae pars in aliqua officina commisceatur, ad rem nostram, ut inferius ostendam, parum refert; illud autem pro certo habendum est juxta novam inventionem candelas, quae venales prostant, generatim ex sola *stearina* absque cerae mixtione elaboratas esse. Praeterea mei non est inquirere an revera alicubi etiam arsenicum in novis candelis commisceatur, prout in ephemeribus referebatur.

Haec de novorum cereorum materia et qualitate, modo dicendum est de quibusdam sacris ritibus, in quibus

*) Inter caeteros videri potest Joseph Gazzerri in opere, cui titulus: *Compendio di un trattato elementare di chimica* tome 2 edit. 3. Flor. 1833.